

Daniel Spalchaver

**Trias Controversiarum Theologicarum De Spiritu Sancto; In Qua Vera orthodoxarum Ecclesiarum ex limpidissimo Dei verbo sententia, fundamentis immotis & solidis pro confirmanda ipsius Divinitate, Personalitate, ac Proceßione a Patre & Filio asseritur**

Rostochi[i]: Pedanus, 1616

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73758842X>

Druck Freier  Zugang



D. Spalchaverus.  
R.M. theol. 1616.







TRIAS  
Controversiarum Theologicarum  
DE  
SPIRITU  
SANCTO;

IN QUA  
*Vera orthodoxarum Ecclesiarum ex limpidif-  
simo DEi verbo sententia, fundamentis immotis & solidis  
pro confirmanda ipsius Divinitate, Personalitate, ac Processio-  
ne à Patre & Filio asseritur:*

A  
Falsâ autem & erroneâ τῶν Πνευματικῶν  
opinionē breviter vindicatur,

*Studio & operâ*  
M. DANIELIS SPALCHAVERI,  
Rostochiensis.

Cum consensu & approbatione Venerandæ Facultatis Theo-  
logicæ in Celeberrima Academia Rostochiensî.



ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI, Prostat apud JOH.  
HALLERFORDIUM Bibliopolam.

ANNO M, DC, XVI.





ILLUSTRISSIMO CELSISSIMOq; PRIN-  
CIPi AC DOMINO

DN. ADOLPHO  
FRIDERICO,

Duci Megapolitano, Principi vetustæ Gen-  
tis Henetæ, Comiti Swerini, Dynastæ Rostochij,  
& Stargardiæ, Domino meo clementissimo,

**Q**Uæ in S. Scripturæ libris pro re nata sparsim tra-  
duntur & occurrunt, Illustrissime, Celsissimeq; Princeps  
ac Domine, Domine Clementissime, ea ad suos quæq; lo-  
cos tanquam classes, atq; aded ad methodum qui revoca-  
rent, & veluti in corpus contraherent, inde à Christianæ Ecclesiæ  
Primordijs, inventi sunt quamplurimi. Nam ut Polybius in lectio-  
ne Historiarum jubet *συναρτῶσιν*, omnibusq; alijs in artibus &  
disciplinis initio summa rei methodo comprehensa seu compen-  
dium methodicum traditur: ita etiam Theologiæ seu doctrinæ cœ-  
lestis velut idea proponi potest, ut sit *χειρὼν γωγία* seu manu ductio  
ad Scripturæ libros rectius intelligendos. Loci communes etenim  
uti ex Scriptura extruuntur, ita, rursus ad Scripturam quasi manu  
ducunt, ut de omnibus, quæ in Scripturæ libris legimus, aut lecta  
audimus, rectius judicare, & quæ in Scriptura hinc inde occurrunt  
prudenter distinguere, & ad sua genera tanquam ad classes reduce-  
re, & de Ecclesiæ dogmatibus, quoties opus est, feliciter differere  
possimus.

Tantam utilitatem mihi quandoq; perpendenti in cursu studio-  
rum meorum feliciter continuando faciendum esse existimavi, ut  
post sacrum Codicem, cujus apud Theologiæ studiosum præ cœte-  
ris prima debet esse cura, non tantum Doctorum Ecclesiæ scripta  
methodica, quæ vulgò Loci communes dicuntur ( quantum per  
multas alias molestias hactenus fieri potuit ) pervolverem, sed &  
ipse pro meo talento, quod novi quam apud me sit perexiguum,  
tenta-



tentavi; jam ante ab alijs inventis vel ex Scripturis, vel ex bonis Au-  
toribus sive hoc sive aliud interdum, pro cujuslibet scopo,  
agentibus, hæc atq; illa adijcere, ut meo privato usui rectius aliquã-  
do inservire possent: sicuti paucula hæc, quæ jam publici juris fa-  
cio, exinde excerpta esse non eo inficias.

Equidem à nullo etiam admonitus libentissimè agnosco, illa  
valdè esse jejuna, & ne millesimo quidem gradu, cum aliorum mo-  
numentis, quorum hæc nostra ætas admodum ferax est, esse com-  
paranda, sapius illud Poëtæ mihi in mentem revocans:

*Metiri se quemq; suo, modulo ac pede verum est,*

Veruntamen nec illud planè difficeor, dum meam tenuitatem ita  
perpendo, ut qualia qualia hæc in lucem emitterè, animū addidisse  
partim Reverendæ Facultatis Theologicæ in hac Uiverfitate be-  
nevolam illorum approbationem: partim verò illud, quod D. Au-  
gustinus alicubi monet; Utile esse, plures discursus à pluribus fieri,  
diverso stylo, non diversa fide, etiam de iisdem quæstionibus: ut  
ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. In-  
id autem unicè incubui, ut more in Ecclesiâ recepto, h. e. aperto &  
facili, absq; ullis verborum novitatibus & ampullis cum probatis  
Autoribus loquerer. Observandum enim est, (inquit magnus ille  
Theologus D. Martin. Chemnitius in tractatu, quem de usu & uti-  
litate Locorum Theologicorum iisdem præmisit,) quos modos lo-  
quendi in quolibet loco Ecclesia receperit, & quo consilio: quos  
rejecerit, & quibus de causis: ne petulanti novitatis affectione à  
proprietae sermonis Ecclesiastici discedatur. Est n. diligentia  
digna pijs, propter concordiam loqui cum Ecclesia rectè sentien-  
te. Petulans n. mutatio vel errores parit, vel dissidia. Et plerumq;  
periculosus erroribus via sternitur, quando pleriq; piscatoriam Spi-  
ritus S. simplicitatem nauseantes, sub integumento ornatus & ele-  
gantia alicujus *καίνοφωνίαν* introducunt. In quam sententiam  
pulehrè etiam Nicetas pronunciavit: In eo elaborare, ut quæ se-  
mel rectissimè dicta sunt, nova orationis forma enunties, intempe-  
stiva est ostentationis. Sed de hisce forsitan aliàs.

Cæteram Illustrissime, Celsissimeq; Princeps ac Domine, Do-  
mine clementissime, Celsitudini V. tres hæc controversias ex loco  
de Spiritu S. *ἐξ ηγηκῶς καὶ ἐλεγκῶς* breviter tractatas inscribere  
& de-




& dedicare & lubens volui & meritò debui. In recenti enim ad-  
huc habeo memoriâ, quanta mihi indigno ante annum, cum quas-  
dam jussu Celsitudinis V. in Aula Syverinensi, de eadem ferè hac  
materia, (attamen quantum textus tum mihi enarrandus permit-  
tebat) coram Celsitudine V. haberem conciones, sine exhibita  
favoris & benevolentiae *πικρήσια*, adeò ut illa nunquam ex animo  
meo deponere possim, nullus dubitans, quin Celsitudo V. adhuc  
eundem erga me conservet, inq; promovendis studijs meis sit ser-  
vatura animum perpetuum. Illud ergò ut indubitatò testatum  
facerem, publicâ hac qualicunq; *προσφωνήσει* Celsitudinem V.  
compellendam esse duxi, simul eâ, quâ par est animi humilitate  
& submissione, etiam atq; etiam rogans, ut levidensè hoc munu-  
sculum chartaceum favore suo ac benigno vultu complecti digne-  
tur, & spectare, ut aliquâdo scire monebat Ambrosius, nò quâtù de-  
tur, sed de quâto detur & quâto animo, qui certè in me erga Celsitu-  
dinè V. non est exiguus. DEUS ter optimus maximus Celsitudinem  
V. quàm diutissimè incolumem præstet, consilia & actiones uni-  
versas regat & dirigat in S. S. sui nominis gloriam & subditorum  
salutem. Scribebam Rostochij, in ipso Festo Pentecostes, Annâ  
M. DC. XVI.

*Illustriss. Celsitud. V.*

Subjectissimus & obsequentiss.


M. Daniel Spalchaverus,  
Rostochiensis.





**A**dmonitionis istius, qua habetur Proverb.  
 15. vers. 23. probè memor; Sermonem opportunum esse  
 optimum: ut & illius sententia, qua Sophocli adscribitur: O-  
 mnia tempestiva esse pulchra. Idcirco, Θεῶν εὐλογητὸς, tempo-  
 ri Pentecostali, quo hæc concipio, memet accommodans, Mater-  
 riam necessariam pariter atq; utilissimam de Spiritu S. tertia-  
 SS. Triados Persona, ὡς ἐστὶ τὸ πᾶν, ἰερικῶς ἢ ἀντιθετικῶς, (quan-  
 tum instituti mei ratio tulerit) oculis subyciam. Ne tamen  
 hæc omnia ad dictam materiam spectantia afferre velle videar,  
 ἐν τῷ πνεύματι duntaxat memet intra tres continebo summè con-  
 troversas συζητήσεις, quarum prima erit:

Num Spiritus S. unâ cum Patre & Filio  
 sit verus DEUS?



**N**am potissimum huic questioni  
 dederunt spiritus scurrilitatis 1. Reg. 22. 19. affla-  
 ti & inflati Eudoxus Eunomius, & multi atq;  
 Macedonium sectati, qui communi nomine  
 συνήθελοι Πνευματικοὶ appellati sinxerunt,  
 Spiritum S. esse quidem præstantiorem Angelicis virtutibus, sed  
 non DEum vel Dominum. Imò alij dixerunt, se neutrum velle  
 asserere; An sit DEus vel creatura, cum Scriptura neutrum ma-  
 nifestè declaret. De quibus B. Chemnit. in Loc. de sp. S.

Nos verò ejusmodi βλασφημίας meritis aversantes, spiri-  
 tum S. verè propriè & naturâ DEum esse æquè atq; Patrem & Fi-  
 lium firmissimè credimus, idq; seqq. Scriptura argumentis irre-  
 fragabilibus & immotis ὀφθαλμοφανῶς demonstramus.



Primum exinde desumitur, quod nomen Dei essentialiter uni soli vero Deo propriissime competens Esa. 42. 8. Spiritui S. tribuatur. Nam Jehovah qui locutus est per prophetas & sanctos Dei homines Num. 12. 6. est Spiritus S. 2. Pet. 1. 21. Et Esaias. cap. 6. 9. scribit Jehovah regem exercituum dixisse, vade & dices populo huic, &c. Id Paulus à Sp. S. dictam esse refert, Act. 28. 25. & seq. Qui item Jehovah in deserto tentatus est, Num. 14. 22. Spiritus S. est, testibus Esa. 63. 10. & Stephano, Act. 7. 51. Sic que Jehova Psal. 95. 8. tribuitur exhortatio: Hodie si vocem Domini Dei vestri audieritis; Spiritus S. esse asseritur, Ebr. 3. 7. Ita etiam qui Jehovah fœdus novum cum domo Israël & cum domo Iuda se pacturum promittit, Jer. 31. 31. Spiritus S. est, Ebr. 10. 15. & seq.

II. Dein cum Spiritus S. non tantum Jehovah sive Dominus sed & Deus  $\kappa\upsilon\epsilon\iota\omega\varsigma$ ,  $\omega\pi\epsilon\acute{\alpha}\tau\omega\varsigma$   $\chi\epsilon\iota\delta\iota\omega\varsigma$  expressis verbis nominetur, de ejus divinitate non nisi illis, à quibus veritas turpissimè profituitur, dubium exurgere potest. Disertè enim Deus nuncupatur 2. Sam. 23. 2. & 3. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. Dixit Deus Israël mihi, locutus est fortis Israël, dominator hominum, justus dominator in timore. Quo in loco manifestè Sp. S. Deus dicitur. Quem in initio spiritum Domini appellavit, hunc postea nominat Deum Israël. Petrus Act. 5. 3. & 4. ad Ananiam dicit: Cur Satanas implevit cor tuum, ut mentireris Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus sed Deo. Qui Spiritus S. primò nominatur mox è vestigio Deus indigitatur. Sic à Paulo dicitur Spiritus, qui ex Deo est, h. e. ex substantia Dei 1. Cor. 2. 12. Et 1. Cor. 3. 16. cum dixisset: An nescitis, quod templum Dei estis? statim addit: Et Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Et 1. Cor. 12. 4. & seqq. Divisiones gratiarum sunt, idem a. Spiritus: & divisiones ministrarum, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem vero Deus. Hic



Hic eundem mox Spiritum, mox Dominum, mox DEum vocat. Ad-  
dit: Divisiones operationum sunt, sed idem DEus efficiens omnia  
in omnibus. Illud (omnia in omnibus) palam v. 11. accommo-  
dat ad Sp. S. dicens: Hac autem omnia operatur unus atq; idem  
Spiritus dividens singulis prout vult.

III. Idem quoq; probatur attributis & epithetis soli vero  
DEo proprijs & essentialibus. Ut quando in voce abstracta dicitur  
veritas 1. Job. 5. 6. unde spiritus veritatis nominatur, Job. 15.  
26. Item eternus, Gen. 1. 2. Ebr. 9. 14. omnisapiens & omnisci-  
us, Esa. 40. 13. Job. 14. 26. & c. 16. v. 13. 1. Cor. 2. 10. Unde voca-  
tur Spiritus sapientia, intellectus, consilij & scientia, Esa. 11. 2. u-  
biq; presens & infinitus Psalm. 139. 7. omnipotens 1. Cor. 12. 6.  
& 11. unde appellatur spiritus fortitudinis, Esa. 11. 2. & roboris  
2. Tim. 1. 7. Et ut paucis multa cum Dn. D. Mentzero in. Exeg.  
Aug. Confess. Art. 1. comprehendam: Quicquid DEus est &  
dicitur, illud omne de Sp. S. pie & verè predicari potest.

IV. Sed & accedat quartum confirmationis nostræ argu-  
mentum, quod ab effectibus sive operibus planè divinis desumitur.  
Creat enim & conservat omnia, Gen. 1. 2. Psalm. 33. 6. & 104. 30.  
Job. 26. 13. & 33. 4. Incarnationem Christi miraculosè perficit,  
Matt. 1. 20. Christus ab illo mittitur, Esa. 48. 16. (puta, quò ho-  
mo est, ad predicandum & evangelizandum pauperibus Esa. 61.  
1. Luc. 4. 18.) ungitur Esa. 61. 1. ejus virtute signa & prodigia  
efficit, Luc. 11. 20. Act. 10. 38. & à mortuis excitatur, Rom. 8. 11.  
Est Doctor & Ductor Ecclesia Job. 16. 13. Dat ipsi Apostolos &  
Doctores Act. 13. 2. & 20. 28. Exornat homines varijs donis cum  
spiritualibus tum corporalibus, Exo. 31. 3. Act. 2. 4. 1. Cor. 12. 10.  
& 11. inspirat Prophetis vaticinia de rebus post multa demum  
secula eventuris Act. 1. 16. Ephes. 3. 5. 2. Pet. 1. v. ult. Nostræ  
etiam regenerationis ceu parens est, Job. 3. 5. illuminat Ioh. 14. 26.  
nos obsignat atq; confirmat usq; ad finem vitæ Ioh. 14. 16. Eph. 1. 13.  
& seq. testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus Filij DEij,  
Rom. .



Rom. 8. 16. docet orare, Zach. 12. 10. adjuvat infirmitatem nostram Rom. 8. 26. nos ad imaginem DEi rursus transformat à claritat: in claritatem 2. Cor. 3. 18. Mundum arguit de peccato, iustitia & iudicio, Job. 16. 8.

V. Deniq; Spiritui S. divinus honor ac cultus uni & soli DEo proprius assignatur: cuiusmodi est in nomen ejus & què atq; patris & Filij baptizari, Matt. 28. 19. in eum credere, ut Apostolorum jubet Symbolum, per ipsum jurare, Rom. 9. 1. eumq; veneratione religiosa prosequi Esa. 6. 3. Huc refer vota Pauli 2. Cor. 13. 13. cujus verba sunt: Gratia Domini Jesu Christi & charitas DEi, & communicatio S. Spiritus, sit cum omnibus vobis. Item Iohannis, Apoc. 1. 4. dicentis: Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem Spiritibus. Ubi obiter quasi observetur ex Doctorum Ecclesie consensu per septem Spiritus intelligi multiplicia illa & varia dona qua Spiritus S. in Ecclesiam effundit. Licet enim unus sit Spiritus ratione essentia: septem tamen dicuntur esse Spiritus ratione variorum donorum, qua efficit, Paulo teste 1. Cor. 12. 11. unus ille idemq; Spiritus. Hinc in libro Sapientia c. 7. 22. Spiritus S. & unicus & multiplex nominatur. Unicus propter essentia unitatem, multiplex propter varietatem donorum, & gratiarum, quas operatur in hominibus.

Hec ergò omnia & singula cum solius DEi ἀναρροισθητικῶς sint propria, satis superq; constare existimo, Macedonianos atq; adeò omnes Ἰεροπόλιτας toto cælo furiosissimè errasse blasphemantes: Spiritum S. cum Patre & Filio nihil habere commune, & non Dominum, sed servum, non DEum, sed creaturam esse.

At quid opus est tantâ prolixitate in re manifesta? Saltem unum atq; alterum in medium prodeat, in quo cause sua morbida & abominanda subsidium querere conantur. Inter cætera cum primis tumultuantur contra Sp. S. aternitatem, idq; ex cap. 7. Iob. v. 40. Nondum erat Spiritus S. Sed facilis est responsio. Iohannis enim sermo non ad Spiritus S. essentiam, sed ad visibilem & mi.



Et miraculosam missionem est referendus quae contigit in die pentecostes Act. 2. Arguunt id verba immediatè sequentia, quia Jesus nondum erat glorificatus .i. nondum facta erat miraculosa Spiritus S. donatio sive effusio. Nec potest quidem illud dictum de Sp. S. intelligi, ac si non fuisset, quia Et ipse Filius DEi in carne de Sp. S. est conceptus Luc. 1. 35. Et Iob. 1. 32. dicitur, quod in specie columba descenderit super Christum. Uti pluribus in hanc sententiam paulò ante est demonstratum.

Pariter nec illud Adversariorum iuvat sententiam, quod Act. 19. 2. discipuli Ephesini Paulo interroganti, num Spiritum S. acceperint, postquam crediderunt, respondent: sed neq. si Spiritus S. est, audivimus. Quod περὸν μὴ κῶς de donis intelligendum, quae tunc credentibus conferri solebant, ut de linguarum cognitione, prophetia Et similibus res est in aprico posita. Respondent ergo discipuli, se etiam in ignorance versari ejus rei, an sit Spiritus Sanctus? Quod non de ὁμοσίῳ ei, sed peculiaribus ejusdem donis Doctorem Ecclesia judicio est accipiendum. Ut simplex sensus hic sit: Non scimus Spiritum Sanctum aliter nisi per fidem dari, Et de ejus manifesta exhibitione cum miraculorum testimonijs conjunctà nondum aliquid audivimus, nec in nos illo modo hætenus effusus est Sp. S.

Deniq. subinde provocarunt ad auctoritatem Sydoni Nicena, quae de Divinitate Spiritus Sancti nihil quicquam definiit. Sed in promptu est solutio. Nihil quidem in Synodo illa hæc de re fuisse definitum, imò ne quidem definiri debuisse. Quia tum questio non agitabatur de Divinitate Spiritus Sancti, sed tantum de Divinitate Filij DEi. Etsi enim Arriani Divinitatem Spiritus Sancti etiam negabant: tamen errorem hunc studio quo poterant maximo occultabant, teste Basilio in Epistolis. Hinc ergo factum ut in Synodo Nicena nihil quicquam de divinitate Spiritus Sancti definiretur. Alioquin Patres Concilij Niceni aequè divinitatem Spiritus Sancti atq. Patris Et Filij  
B credi-



credidisse evidentissimum est argumentum, quod Athanasius, cuius in illo Concilio precipua fuerunt partes, illam expressè asseruit in Symbolo suo hisce verbis: ἅτε θεός ὁ πατήρ, θεός ὁ υἱός, θεός ἔν τῷ Πνεύματι ἁγίῳ.

Atq; hæc dicta sunt de prima Questione, sequitur altera ex hac quasi profluens, sc.

**Num Spiritus Sanctus etiam habeat certam**

ὄντως ὄντιν sive substantiam in unitate Essentiæ divinæ:

vel (ut planius dicam) num sit realiter distincta Persona à Patre & Filio?

**A**ffirmant Nostrates contra id negantes Πνευματικῶν Ἀρειανῶν & Αντιτρινιarios. Licet enim Spiritum Sanctum DEum & æternum esse fateantur Αντιτρινιarioj bodierni Photiniani: personam tamen eum divinam esse multis modis pernegant. Sed & illa Ψευδοδοξία facilius corruet: si prius breviter vocis ( Spiritus ) ὁμωνυμίας, quæ erroris mater est, explicaverimus.

Vocabulum enim Spiritus. 1. Significat agitationem seu naturam agitantem, nam verbum ⲛⲓⲓ unde ⲛⲓⲓ deducitur idem valet quod agitare, movere, ciere. 2. ventum. Psalm. 103. 16. Amos. 4. 13. Job. 3. 8. 3. Vitam seu animam. Psalm. 104. 29. Ps. 150. 6. Esa. 2. 22. Act. 7. 59. 1. Cor. 2. 11. 4. Motus & affectus hominum creatos, Ps. 32. 2. Ps. 51. 12. Esa. 66. 2. Prov. 17. 22. 5. Naturam incorpoream quamcunq;. Psalm. 104. 30. Luc. 24. 39. 6. Doctrinam & dona Spiritus S. 1. Cor. 14. 32. 1. Thess. 5. 19. 1. Job. 4. 1. & 2. 7. Deniq; peculiariter notat ipsum Spiritum S. quam significationem hic potissimum urgemus. Et pulchrè quidem isthac appellatio tertia Divinitatis personæ tribuitur, ut cogitemus, Spiritum S. non esse naturam seu essentiam otiosam, sed cientem, moventem & agitantem omnia, juxta dictum. Act. 17. 28. Expli-



Explicata igitur vocis ὁμοουπια ad rem ipsam progredior.  
Personam autem & quidem distinctam à Patre & Filio, non verò  
qualitatem, habitum seu ventam aliquem & agitationem creatam  
esse Sp. S. tum ex Persona definitione, tum ex Scriptura dictis, que  
ipsi Persona propria tribuunt, manifestè apparet. Est enim  
Persona in ipsa Deitatis essentia actu & revera per se subsistens, in-  
dividuum, vivum, sine communicatione sui ad alterum. Unde  
& intellectum ac voluntatem eidem S. litera assignant, una cum  
actionibus exinde consequentibus, Gen. 1. 2. Esa. 11. 2. Iob. 33. 4.  
Sap. 7. 22. Joh. 3. 8. Act. 15. 28. 1. Cor. 2. 10. Eph. 1. 17. Huc in-  
primis pertinet illud 1. Cor. 12. 11. ubi Apostolus ait, quod omnia  
unus ille & idem Spiritus efficiat, distribuens privatim singulis  
prout vult.

Cum itaq; in hisce Oraculis divinis Spiritui S. voluntas &  
ex voluntate sequens atq; dependens operatio tribuatur, utiq; re-  
ctè illum esse substantiam & Personam ratiocinamur. Et scitè  
admodum ab aliquibus illa verba Johannis c. 14. v. 16. urgentur:  
alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum,  
Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere. Si enim  
Spiritus S. propriam non constitueret personam, sed significaret a-  
gitationem creatam, utiq; non esset Doctor, sed doctrina. Non  
esset alius à Patre & Filio, audiens & accipiens. Imò si non  
esset Persona distincta à Patre, Pater ipse non discerneret Spiri-  
tum S. à se & Filio, quando ad Johannem inquit, super quem  
videris Spiritum descendantem & manentem super eum, hic est,  
qui baptizat in Spiritu, Ioh. 1. 33.

Facit hoc insuper formula Baptismi nostri, qua in nomine  
Patris & Filij & Spiritus S. baptizare Salvator Apostolos jubet,  
Matt. 28. 19. & in Baptismo Christi Sp. S. sub formâ peculiari  
ac distincta à Patre & Filio, columba nim. specie ad tempus ad-  
sumptâ apparet, Patre desuper loquente, & Filio in Iordane à  
Johanne Baptismum accipiente, Matt. 3. 16.



Quocirca damnandi sunt errores τῶν Πνευματομάχων Samaritanorum blasphemio ore docentium, appellatione Spiritus S. in S. literis tantum ἐξέγειαυ Ἔ vim efficacem in creaturis, bonosq; motus accidentarios creatos in hominibus notari.

Detestandus quoq; error est Serveti, qui Spiritum S. vim esse à DEo rebus conditis infusam, quâ moveantur Ἔ regantur, quam Physici naturam appellant, blasphemabat. Qui ob blasphemias merito supplicio Genevæ Anno 1551. est affectus.

Eliminanda simul est ex foro Ecclesia heresis Sabellij, Ἔ qui eum secuti sunt, Photini Ἔ Marcelli: qui quamvis divinam Spiritus S. essentiam statuerunt: attamen distinctam eam à Patre Ἔ Filio Personam negarunt: quin potius unum numero DEum, diversa tamen nomina titulotenus in Scriptura obtinentem, impiè asseruerunt.

Huc referuntur Ἔ eodem censu habentur Macedoniani eorumq; sectatores Ἔ complices Heretici recentiores alij, qui de Arriana radice propagati non impietatem sed nomen aliud sortiti Spiritum S. ὁμοῦ τε non ὁμοῦσιον Patri Ἔ Filio, sed ἐν ἑσῶσι ac creatam, Angelis tamen longè excellentiorem Ἔ eminentiorem blasphemare ausi sunt.

Cui placet hac de re imprimis legere potest Osterod. adversus Tradel. ICTum Ἔ Syndicum Augustanum par. 2. c. 11. Item Auctorem refutationis Woyeki Ἔ Bellarmini, id est, Faustum Socinum, Eniedynum, Adamum Goslarvium, Nobilem Polanum in libello adversus Keckermannum: Animadversores super assertiones collegij Posnaniensis Ἔ alios, qui dictitant, referente D. Wolfg. Franzio in disp. pro Aug. Confess. etiam alijs rebus tribui actiones intelligentes Ἔ volentes, quæ tamen res non sint statim persone.

Verum etsi non negamus inanimatis Iud. 9. 8. cum seqq. Ἔ similia quandoq; assignari metaphoricè: tamen voluntatem Ἔ Beneplacitum post antegressam deliberationem in operibus  
con-



consecutis fuisse iisdem proprie ascriptum nusquam invenimus.

Huc referantur illa, quae caritati 1. Cor. 13. 4. 5. 6. Scriptura Gal. 3. 7. Legi, Rom. 3. 19. non proprie sed improprie & metaphorice attribuuntur, id quod ipsi adversarij, si illis vel micandoris ac discretionis adhuc superesset, fateri necesse haberent.

Vanum quoque & futile illud est, quod Πνευματικοι dicto propheta Amos c. 4. 13. abutentes contendunt, Spiritum Sanctum nihil aliud esse, quam virtutem quandam DEI & divinam efficaciam increaturis, praesertim cum in veteri vulgata translatione reperitur, creans Spiritum: Ubi tamen turpi sophisticatione equivocationis superius notata eos ludere manifestum est, cum non de tertia Trinitatis Persona, sed de vento propheta agat, teste Basilio adversus Eunonium, quando inquit: Apud Amosum, nomen Spiritus non significat Spiritum S. sed ventum. Ait enim propheta, Dominum non dixisse, qui creavi, sed creans, seu qui creo, Si namque de Spiritu S. locutus fuisset; utique dixisset, qui creavi. Erat enim de sententia Eunomij jam creatus Spiritus S.

Unicum adhuc sicco pede praeterire nequeo, quod Adversarij magno quidem sed conatu irrito dictum illud Moysis πολυθυρίατιν eludere conantur, Gen. 1. v. 2. Spiritus Domini incubabat ( Ⲁⲛⲏⲛⲏⲛ fovebat vivificans vitali calore, sicut gallina vel avis incubans fovet ova, eisque vitam & vigorem impertit ) Superficiei aquarum. Ubi itidem per Spiritum Domini non tertiam personam Trinitatis, sed ventum intelligendum esse contendunt. Verum audiamus quaeſo Dn. D. Hunnium p. m. quas contra illos in quest. super Gen. c. 1, responsionis loco adducat rationes. Primo (inquit) demonstrare non possunt, quod ventus tum jam existerit. 2. Spiritus ille ἔξωθεν Dei Spiritus dicitur. E. re-  
ctius istam vocem de DEI Spiritu quam de creato vento intelligi  
mus.



mus. 3. Absonum foret putare, Moysen in describenda creatio-  
ne meminisse venti, & interim Spiritus S. oblitum. 4. Huic Spi-  
ritui attribuitur, quod motando sustentarit molem aqueam, &  
incubando foverit, ut producendis creaturis redderetur habilis,  
quod creato vento tribuere foret impium. 5. Deniq; omnem du-  
bitationem tollit Propheta David, qui ex Mose hoc repetens di-  
fertè de Spiritu S. interpretatur Ps. 33. 6. canens & affirmans,  
Spiritu oris Jehova omnem exercitum cælestem esse conditum.  
Quod etiam de secunda Quæstione annotasse sufficiat. Restat  
ad huc non minus controversa tertia & ultima, quæ est:

Num Spiritus S. procedat à solo Patre, an  
verò à Patre & Filio æqualiter?

**E**T sanè à Patre ipsum procedere extra controversia aleam est  
positum. Hoc etenim Christus ipse attestatur Job. 15. 26. Cum  
venerit Paracletus Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.

Ceterum an à Filio quoq; procedat à Græcis quibusdam seu  
Ecclesia Orientali secessione facta ab Ecclesia Occidentali dubita-  
tum fuit, atq; etiamnum hodiè ab eorum affectis Armenis, Ruthe-  
nis, Moscis &c. dubitatur. Hi enim contendunt Spiritum S. à so-  
lo Patre, non item à Filio procedere.

Rectissimè autem à quibusdam Theologis triplex Græcorum  
etas constituitur, Prima, Media, & Postrema: ne quis fortè putet,  
omnes in unum Græcos istius erroris insimulari.

Prima etas ab eo præsertim tempore, quo Græcia ad fidem  
Christi fuit conversa, durat ad Basilij usq; tempora. Qui igitur  
tota hac prima etate vixerunt Græci Theologi hoc in Articulo nul-  
latenus à Latinis dissenserunt.

Media etas à Basilij seculo usq; ad annum Christi millesi-  
mum sese extendit, & circa hanc etatem cæperunt Græcorum  
nonnulli de processione Spiritus S. disputare, usq; ad Macedonij e-  
jusdemq; sectatorum tempora. Adversus quos licet Basilius a-  
cerri-



cerrius pugnari: usus tamen est quibusdam loquendi formulis, quae sensum ambiguum & haud adeo commodum praese ferebant, alijsq; erroribus ansam praebebant, ut quando subinde assererat, Spiritum S. esse ex Deo Patre per Filium. Hinc Theodoretus quid Basilium insecutus est (aliàs etiam Nestorianus) doctus magis & callidus, quam constans & candidus, summi cujusdam Theologi Judicio, arrepta occasione, primus scribitur negasse: Spiritum S. procedere à Filio. Sed hac ipsa media etate nondum ab omnibus Theologis recepta & approbata est hac sententia. Ubi ipsi Graeci Theologi ceu erroneam damnarunt phrasin illam, Spiritus S. procedit à solo Patre.

Ceterum postrema aetas, quae Basilij, Theodoreti, Cyrilli & aliorum Graeciae luminum aetatem excepit, contumaciter demum istum errorem defendendum suscepit. Quam in sententiam praeter Theophylactum bene multi Doctores Graeciae concesserunt aliàs ὁρθόδοξοί τινι. Et sanè disputatio hac ita tandem in immensum exarsit, ut Graeci apertè à Latina Ecclesia secessionem fecerint, frustrà omninò in hunc usq; diem varijs redintegrandae pacis & concordiae questis ac tentatis conditionibus.

Solidissimè autem ex Scripturis processionem Spiritus S. etiam à Filio colligi posse & demonstrari, tum veteres tum recentiores Theologi prolixè ostenderunt. Ac initio quidem duae sese in S. literis voces ἐξελθεῖν & ἐκ πορεύεσθαι sese nobis offerunt, quam utramq; quidam indistinctè & parùm Latinè reddiderunt per τὸ procedere. Sed ἀνεπίστω earum advertenda est distinctio: quippe quod τὸ ἐξελθεῖν quidem de Filio dicitur, eumq; missum à Patre se nobis manifestasse ostendit, (quamvis alijs momentibus tenendum sit τὸ ἐλθεῖν ἢ ἐπιλθεῖν etiam de Sp. S. aliàs in Scriptura enunciari) τὸ ἐκ πορεύεσθαι uerò proprium est solius Spiritus S. notatq; aeternam ex Patris & Filij Essentia Spirationem. Est enim ἐκ πορεύεσθαι illa seu processio nihil aliud quam communicatio divina essentia, quae sola tertia Persona Divinitatis à Patre & Filio, tanquam ab eo, cujus



cujus est spiritus, eandem totam & integram essentiam accipiendo,  
ab utroq; existit.

Hisc pramissis considerabimus fundamenta ipsa. I. Cum Spiritus S. non minus dicatur Spiritus Christi Rom. 8. 10. Spiritus Filij, Gal. 4. 6. Spiritus Jesu Christi, Phil. 1. 19. quàm Patris Matt. 10. 20. Rom. 8. 9. ab utroq; etiam procedat necesse est. Quemadmodum enim Filius à Patre gigni dicitur, quia Patris Filius appellatur: ita etiam Spiritus S. à Filio procedit, cujus Spiritus esse perhibetur. Ratio consequentia firmissima est, quia relationes illa Personarum ad Personas ex ipsis hypostaticis proprietatibus oriuntur, non ex aliquâ donationis gratia. Imò si Spiritus S. à Filio non procederet, utiq; proprio destitueretur Spiritu: id quod citra manifestam falsitatem contra jam adducta Scriptura testimonia affirmari neq; potest neq; debet.

II. Adq; idcirco etiam nominatur Spiritus labiorum Christi, Esa. 11. 4. Spiritus oris ejus 2. Thess. 2. 8. nullam sanè aliam ob causam, quàm quod à Filio procedit: sicuti nulla alia potest dari ratio, cur Patris dicatur Spiritus, quam quod ex ore essentia ejus, qua & Filij essentia est, inenarrabiliter procedit.

III. Porro Filius dicitur mittere Spiritum Joh. 15. 26. quod fieri non posset, nisi Spiritus S. ab eo procederet: quia missio temporalis præsupponit processionem æternam ut causam. Idem etiam Pater à nemine mittitur, quia à nemine procedit: Filius à Patre tantum missus dicitur, quia ab æterno à Patre tantum generatur. Sic igitur & Spiritus S. hanc ipsam ob causam à Patre & Filio mittitur, quia ab utriusq; essentia, tanquam consubstantiale spiraculum procedit. Est qui hoc ipsum simili à Sole desumpto declarare conatur. In Sole enim tria sunt, corpus solare, radius & calor. Sol non est à radio, neq; à calore, idcirco nunquam dicitur mitti Sol à radio, aut à calore. Radius quia à Sole est, idcirco etiam dicitur mitti à Sole in terram. Calor ab utroq; est, tam à radio quàm à Sole. Hac de causa rectè etiam dicitur mitti in terram, tam à radio quam à Sole. Hinc colligitur hæc duo simul esse connexa in Sole,  
esse



esse ab aliquo, & ab eodem etiam mitti, ut à quo quis mittitur, ab eodem etiam esse, & emanare dicatur. Quidni hoc magis in tribus illis divinis personis, quarum una atq; eadem est essentia admittendum fuerit?

IV. Adhuc Joh. 16. 15. dicitur S. S. à Christo omnia accipere, id quod per divinum illum à Filio processum fieri oportet. Nam uti  $\rho\upsilon\sigma$  à Patre omnia accepit ab aeterno: sic etiam Spiritus S. omnia accepit à Filio ab aeterno. Jam vero  $\rho\upsilon\sigma$  ab aeterno nihil à Patre accepit, nisi essentiali communionem per generationem. Si igitur Spiritus S. omnia accepit à Filio ab aeterno: per divinam illam & ineffabilem à Filio processionem omnia accipiat, necesse est.

V. Parè ratione firmissimum petitur argumentum ex ijs dictis, ubi Christus affirmat, se omnia habere, qua habet Pater, Joh. 16. 15. & omnia facere, quaecunq; facit Pater, Joh. 5. 19. Quod certè affirmare non potuisset, nisi etiam Spiritum S. spiraret cum Patre. Universalis enim illa particula ( $\pi\acute{\alpha}\nu\tau\epsilon$ ) nihil excludit, sed omnia docet Patri cum Filio, & contra Filio cum Patre esse communia,  $\alpha\lambda\omega\tau\acute{\eta}\varsigma\ \acute{\alpha}\gamma\gamma\epsilon\lambda\lambda\acute{\iota}\alpha\varsigma\ \kappa\alpha\iota\ \gamma\epsilon\nu\eta\sigma\epsilon\omega\varsigma$ , juxta limitationem Damasceni ex Augustino.

VI. Quid? quod idem colligatur ex insufflatione illa sive halitu ex ore emisso tanquam symbolo  $\pi\acute{\alpha}\rho\epsilon\kappa\upsilon\sigma\epsilon\iota\varsigma$  vel exhibitivo, quà Christus Apostolis suis Spiritum S. dedisse legitur, Joh. 20. 22. Illa enim actione liquet, non tantum significari, partim Christum tam facile & verè posse Spiritum S. communicare, quàm etiam sufflare, partim Spiritum S. tam intimum esse Christo & naturalem, quam halitus & flatus erat: sed etiam præter hac significare voluit Christus, non minus à se procedere, & è sua substantia spirari Spiritum S. quam Spiritus ille animalis seu flatus ex ipso efflabatur.

VII. Adde: cum Pater & Filius unum sint, siquidem non gemina  $\theta\epsilon\acute{\iota}\alpha$  Patris &  $\rho\upsilon\sigma$ , sed una est: Spiritus S. autem à Pa-

G

rea



tre procedere dicatur, negari non potest, cum etiam à Filio procedere, nisi fortè cum Trinitatis Patrem & Filium Essentijs im-  
piè dividere velimus, & aliam dicere essentiam Patris, è qua  
procedat Spiritus, & aliam Essentiam Filij, è qua non procedat.

VIII. Dehinc DD. Scholastici adversus Gracos hoc etiam  
argumento haud infeliciter pugnarunt. Si Spiritus S. non aequè  
procedit à Filio atq; à Patre, tùm Filius non distinguitur reali-  
ter à Sp. S. vel quod idem est, nulla potest dari relatio Filij ad  
Spiritum & vice versa hujus ad Filium. Atqui hoc absurdum,  
siquidem absolutissima Trinitatis perfectio requirit, ut certis qui-  
busdam relationibus Persona omnes ad se mutuò adeoq; singula ad  
singulas referantur. Porrò sublata relatione hypostaticâ inter Fi-  
lium & Sp. S. relinquitur quasi quoddam διάστημα sive intersti-  
tium & intervallum inter ~~omnes~~ Filij & Sp. S. sine ullo perso-  
nali nexu: id quod tùm absolutissima illa Trinitatis perfectio, tùm  
mutuus personarû ad se invicem respectus nullo pacto admittit.

IX. Quin etiam ( ut hoc ex Dn. D. Baldvini disp. 3. in  
Art. Smalcald. ex τῆς τριτοῦς ἀδικοῦς adjiciam ) non obscurum hujus  
mysterij typum habemus Dan. 7. 9. & seqq. ubi introducitur An-  
tiquus dierum, hoc est Pater aternus, à cujus facie egre-  
ditur fluvius rapidus & igneus: quem fluvium quidam  
ex Interpretibus intelligat de Spiritu Sancto, de quo Ps. 46.  
5. Fluminis impetus latificat civitatem DEi, & Esa. 66. 12. ipse  
Spiritus de se: Ecce ego declinabo super eam, quasi fluvium pacis,  
& quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis.  
Is igneus dicitur & rapidus, quia mentes igneas reddit, & linguas  
disertas ac vividas, in ijs, super quos gratiose effunditur, quod  
historia Apostolorum & reliquorum Hierosolymis unanimiter con-  
gregatorum testatur, Act. 2. Dicitur autem egredi à facie DEi,  
quia substantialiter procedit à Filio, qui est veluti facies & ima-  
go Patris & splendor gloria ejus, Col. 1. 15. Ebr. 1. 3.

X. Deniq; suffragia Orthodoxa Antiquitatis Graeca non  
videntur esse omittenda, propterea quod Graeci autoritate Graco-

147



nam Patram suam causam maximè munire ac stabilire conentur, sicut cernere est in secūdo responso Patriarchæ Constantinopolitani. Eorum autem potissima collegit Lombardus ex Athanasio, Didymo, Cyrillo, Chrysoſtomo, lib. 1. distinct. 12.

Quod ad Latinorum attinet auctoritatem, ij toti sunt à nostris partibus, nobisq; per omnia in hoc doctrina Christiana Article ἑμὸψηφοι. Nisi fortè alicui scrupulum movere possit, quod D. Augustinus lib. 5. de Trin. c. 17. asserat: Spiritum S. à Patre procedere principaliter. At bene habet. Nam uti D. August. seipsum interpretatur, nihil aliud monere voluit, quam quod pater spirandi potestatem habeat à semetipso, Filius autem per ineffabilem à Patre generationem.

Missis igitur Latinis tantum ex Græcis unum atq; alterum testimonium huc placet adscribere. D. Athanas. in Symbolo inquit: τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὁπὸ τῆς πατρὸς, καὶ τῆς υἱοῦ, ἔπιητόν, ἔκλυτον ἔδε Ἰουδαίων, ἀλλ' ἐκπρορευτὸν.

Et Justinus Martyr. in ἐκτέθειμένῳ λόγῳ scitè ait: ὡςπερ ἡ υἱὸς ἐκ τῆς πατρὸς, ἔτω καὶ τὸ πνεῦμα, πλὴν τῶ τρόπῳ τῆς ὑπάρξεως διόσει. ὁ μὲν γὰρ Φῶς ἐκ φωτὸς, Ἰουδαίως ἐξέλαμψε. τὸ δὲ Φῶς μὲν ἐκ φωτὸς, καὶ αὐτὸ, ἔ μὲν Ἰουδαίως, ἀλλ' ἐκπρορευτῶς προήλθεν. Hactenus breviter καὶ πεχυλῶς τῆς ὀρθοδόξιας vidimus fundamenta; jam ordinis ἑῶ instituti ratio postulat, ut antithesin καὶ ὀρθοδόξιας paucis subtexamus.

Cum primis autem in hoc errori suo Græci posteriores fucum facere student, quod subinde obijciunt, nusquam in Scriptura reperiri illam phrasin, Spiritum S. etiam procedere à Filio. Etsi vero non negamus quod nusquam ita in scriptura ἀναπέξει dicatur. ἰνδωαμὲντα tamen hujus prepositionis plurima in Scripturis reperiri ex fundamentis nostræ sententiæ jam adductis meridiana luce clarius effulget. Dupliciter enim in S. literis aliquid contineri ex trita illa Nazianzeni distinctione est notissimum. Primò secundum esse ἑῶ dici; dein secundum esse tantum, etiamsi expressè non dicatur. Porro si hac ratio militaret, tum nihil quicquam in



Theologia esset pro vero acceptandum, quod non expressis literis atq; syllabis legeretur in Scriptura. Sic periclitaretur illa ὁμοούσιος vox, ab orthodoxis tantoperè olim contra Arianos defensa, quandoquidem ea cotidem literis in Scriptura non reperitur. Dispungeretur vox Trinitatis, Persona, &c. Everteretur pædobaptismus, quia nusquam explicitè & secundum literam legitur in Bibliorum volumine, quod infantes baptizandi, tametsi res ipsa sit in S. literis fundata. Præterea si processio Spiritus S. à Filio non prius credenda est, quam tot Syllabis notata reperiat in verbo Dei, sequetur, quod ante Scriptum Johannis Evangelium, ne quidem processio Spiritus S. à Patre fuerit pro fidei articulo habenda: quandoquidem antequàm Johannes suum Evangelium scriberet, in toto Codice Bibliorum aequè non poterat monstrari ullum testimonium quo disertè diceretur, Spiritus S. procedit à Patre: uti Hunnius τὸ ἀνδρέως nervosè admodum constringit in Artic. de Trinit.

Nec obstat, quod obijciunt Græci contra ante adducta fundamenta: propterea dici Spiritum S. Filij Spiritum, aut mitti à Filio, quod sit ejusdem cum Filio essentia, non quod procedat à Filio: si enim ea ratio aliquid ponderis haberet, tum etiam Pater dici posset Spiritus Filij, & Filius Spiritus Patris: Spiritus item posset mittere Patrem, quia sunt unum ἕνός, quas tamen locutiones nemo Theologorum unquam probavit.

Sic quod Job. 15. 26. Spiritus S. à Patre procedere omiſſa Filij mentione dicitur, id quoq; sententiam nostram non evertit. Neq; enim exclusivæ particula (tantum à Patre) extat in loco allegato. Et si vel maximè extaret, tamen non tam excluderet Filium à spiratione Spiritus S. quàm nec excludit Sp. S. à notitia Patris ipse Christus. Matt. 11. 27. sed solus Patris Christus facit mentionem, quia Mediatori familiare fuit ad Patrem tanquam ad Originem & fontem Deitatis multa referre, quibus tamen ipse subinclusus esse intelligitur versic. eodem. Ita Job. 6. 38. inquit: Non facio



facio voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. Qua verba secundum quid esse intelligenda, nemo tam stupidus est, quin intelligat. Christus enim voluntatem Patris quarendo & faciendo, utiq; suam etiam voluntatem quasivit & fecit. Principatum ergo quidem istis Patri adscripsit Christus, sed istud faciendo sibi interim nihil detraxit.

Pari facilitate & illud Græcorum detegitur  $\kappa\eta\sigma\ \Phi\upsilon\lambda\alpha\sigma\ \nu\epsilon\upsilon\lambda\omicron\upsilon\sigma$ : Si Sp. S. procedit à Patre & Filio, non est unus sed duplex aut compositus, quia à duobus numero producitur. Atqui non est duplex, aut compositus, sed unus, ergo unum habet numero Principium, & per consequens à Solo Patre non verò à Patre & Filio simul procedit. Resp. Fieri manifestam confusionem  $\upsilon\mu\epsilon\tau\epsilon\omicron\upsilon\sigma\tau\omega\upsilon$  seu producentium, &  $\epsilon\pi\epsilon\gamma\epsilon\iota\alpha\sigma$  sive productionis. Etsi enim  $\upsilon\mu\epsilon\tau\epsilon\omicron\upsilon\sigma\tau\omega\upsilon$  differunt Pater & Filius: tamen operatione spirandi non differunt. Hac enim non duplex, sed una est, teste Christo Job. 5. 19. Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quaecunq; n. ille fecerit, hac & Filius similiter facit.

Deniq; nec illud Adversariorum juvat sententiam, quod Paulus dicit Tit. 3. 6. Deum effudisse in nos Spiritum S. copiosè per Jesum Christum Salvatorem nostrum. Nam non negat Paulus processionem à Filio, sed tantum causam designat meritoriam puta Jesum Christum, qui passionis merito nobis impetravit Sp. S. donum, juxta illud: si non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Joh. 16. 7.

Et sic etiam hætenus vidimus quasdam Græcorum exceptiones Sp. S. à Filio procedere negantium. Qui error cum Filium interna operatione producendi Sp. S. privet, non usq; adeò levioris est momenti.

Quamvis autem quidam ex Græcis vi ipsius veritatis adducti se declararint, quod credant Sp. S. esse & procedere à Patre per Filium, ut ex Synodo Basiliensi colligi potest; tamen nec hæc



sententia Scriptura per omnia consona esse videtur: Non enim procedit à Patre ἐπιπέσωε interventu sc. Filij, hac enim ratione uni Personæ esset propinquior quam alteri: sed procedit ἀπέσωε ab utroq; velut ex uno fonte essentiali: ut enim Essentia sunt unum, Pater ἔστωε; sic in producendo uno eodemq; Spiritu consubstantiali, sunt unum essentielle principium, ἔστωε sub Essentie Identitate unum omnino in spirando seu producendo σπρωδωα(σπρωον): Ita tamen ut Pater facultatem illam spirativam à semetipso habeat, Filius autem per ineffabilem à Patre generationem accipiat, ut ab ipso quoq; procedat Spiritus ipsi non minus quam Patri ὁμοῶεστωε. D. Lobeck. disp. 3. in Aug. Confess.

Antequam verò ἔστωε hoc concludam ἑνῆστωε, omnes pietatis ἔστωε θεοστωεφιλῆεστωε amantes monendi sunt, ne quid in tanto mysterio extra verbum patefactum investigando rationi suæ indulgeant. Nam modum si quis in hac tertiæ Personæ Spiritus S. ἔστωε individua Trinitatis nasci caracteristicā ex nobis quaesierit, illi respondemus apertè cum Damasceno consistentes: Generationis ἔστωε processionis differentiam esse scimus: at quis differentia modus nequaquam. Malumus enim tam in hoc quàm in alijs mysterijs libentius cautam ignerantiam quàm falsam profiteri scientiam. Quomodo ergò isthac processio Sp. S. fiat fide apprehendum non ratione perscrutandum est. Nam ἔστωε ipsis Angelis inscrutabile est, qui perpetua letitia illud aspectant. Et quicumq; hoc mysterium ratione metiri ἔστωε comprehendere conati sunt, seipos (Megalandro illò D. Luthero alicubi attestante) in exitium precipitarunt.

Quamobrem potius D. Nazianzenum sequamur, qui piè ἔστωε modestè hisce verbis in Orat. de Sp. S. de hoc inscrutabili ἔστωε ineffabili mysterio ita differit: Tu mihi ἀγεννηστωεωε πατῆεστωε seu proprietatem illam patris ediffere, qua generationis expertus est, ἔστωε ego tibi γεννηστωεωε seu generationem Filij; ἔστωε ἐκπέσωεωεωε sive processionem Spiritus S. explicabo. Quo fiet ut ambo deliremus,  
dum



dam in DEi mysteria paucis ac ne paucis quidem aperta intro-  
spectare audeamus. At quinam quaso? Qui ne illa quidem  
scire possimus, que ante pedes sunt, seu sub aspectum cadunt,  
nec arenas marium, guttas pluvia, dies avi enumerare, nedum  
ut per DEi profunditates incedere possimus, ac reddere ratio-  
nem natura usq; adeo ineffabilis supra rationem posita.

## Conclusio.

Quod superest *διακόνει* huic à tempore  
ipso admonitus colophonem impono hac  
*δοξολογία* & Hymno Ecclesiæ pen-  
tecostali :

Veni Sancte Spiritus  
Et emitte cœlitus  
Lucis tua radium.  
Veni Pater pauperum,  
Veni dator munerum,  
Veni lumen cordium.  
Consolator optime,  
Dulcis hospes anima,  
Dulce refrigerium.  
O lux beatissima,  
Repleto cordis intima  
Tuorum fidelium.

Sine



Sine tuo Numine  
Nihil est in homine,  
Nihil est innoxium.  
Lava quod est sordidum,  
Riga quod est aridum,  
Sana quod est saucium.  
Flecte quod est rigidum,  
Fove quod est frigidum;  
Rege quod est devium.  
Da tuis fidelibus,  
In te confidentibus  
Sacrum septenarium.  
Da virtutis premium,  
Da salutis exitum,  
Da perenne gaudium.


AMEN.













facio voluntatem meam, sed ejus, qui misit  
cundum quid esse intelligenda, nemo tam stupa  
ligat. Christus enim voluntatem Patris qua  
utiq; suam etiam voluntatem quasiuit & fecit  
ergo quidem istis Patri adscripsit Christus, se  
interim nihil detraxit.

Pari facilitate & illud Græcorum detege  
Si Sp. S. procedit à Patre & Filio, non est unus  
positus, quia à duobus numero producitur: At  
aut compositus, sed unus, ergo unum habet nu  
& per consequens à Solo Patre non verò à Pa  
procedit. Resp. Fieri manifestam confusionem  
producentium, & creptas sive productionis.  
etiam differunt Pater & Filius: tamen opera  
differunt. Hac enim non duplex, sed una est  
s. 19. Non potest Filius à se facere quicquam,  
Patrem facientem. Quæcumq; n. ille fecerit,  
liter facit.

Deniq; nec illud Adversariorum juvat sen  
tus dicit Tit. 3. 6. Deum effudisse in nos Spiritum  
Jesum Christum Salvatorem nostrum. Nam  
processionem à Filio, sed tantum causam designat  
Jesum Christum, qui passionis merito nobis in  
num, juxta illud: si non abiero, Paracletus n.  
Joh. 16. 7.

Et sic etiam hætenus vidimus quasdam  
tiones Sp. S. à Filio procedere negantium.  
lium interna operatione producendi Sp. S. privi  
vioris est momenti.

Quamvis autem quidam ex Græcis vi ip  
Et si declararint, quod credant Sp. S. esse & p  
per Filium, ut ex Synodo Basiliensi colligi potes

C 3

